



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 14. Sequimini eum in domum, in quam intrat. v. 10.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

datam tuam. Sed quid est, quod Dominus, qui omnia contingentia habebat parata ad obsequium, ex omnibus illis, hominem portantem lagenam aquæ elegit. Non est hoc sine sapientia summa factum. In figura ostendit, quid postea veller in Ecclesia sua seruari, nimirum mundationem, suo paschatipræmitti, ut non sumatur ad damnationem, quod est datum ad salutem.

§. 14. *Sequimini eum in domum, in quam intrat. v. 10.*

Famulum scilicet, qui amphoram aquæ portabit in domum domini sui, sic nos si cupimus dignum & aptum parare in anima locum, quo corpus Christi in Sacramento excipiamus sequi debemus hunc famulum per quæ humilitas cordis significatur, qui est signum pœnitentiæ, humilitatis, contritionis, præparationisque per fidem, spem & charitatem, tunc enim potest rationabiliter ad animas nostras intrare potestas Apostolica, quæ est limitata ad remittenda peccata, quia debet exercere iudicia, super sedes duodecim tribuum. Alia est potestas Christi. Intrat ille in domos cordium humanorum, in quacunque dispositione, si ei lubeat, Apostoli in certo signo signatas solum, & ibi parant pascha. Sed quomodo, mi Iesu, dicis, *sequimini eum* alium quam te? nunquid vocando eos ad Apostolatam & alias dixisti? *sequimini me!* sicine de vno ad alium mittis tibi deuotos? ita est, sed omnia prudentissime propter electos, *sicut enim me misit viuens pater, & ego mitto meos vt operentur gloriam meam, & sicut mihi mandatum dedit pater, & ego mando meos, vt ego obedui patri, & foris qua placita fuerunt ei semper, ita meorum est discipulorum meos obedire mandatis, & sicut laborum mercedem ego capi meorum, ita illi in æternis habitaculis fuerum laborum apostolicorum premia reportabunt.*

Domine ad quæcunque mittis tibi dilectos Apostolos pergunt sine contradictione, imo cum læticia, vt voluntatem tuam, & iussum implete possint, & in hoc inueniunt consolationem, non sicut quidam inobedientes, qui propria voluntate deligunt sibi tempora, loca, solatia, vbi tamen postea inueniunt se omni consolatione destitutos, sed boni obedientes eunt ad terras quasi desolatatas, & tamen inueniunt se sibi consolatos, quia *vir obediens loquetur victorias*, uti dicit sapiens. Obediam igitur semper Deus meus vt præter consolationem dulcedinis tuæ, etiam victoriam de insidiantibus mihi obtinere valeam, per te Iesu Christe saluator mundi

§. 15. *Et dicitis patri familias domus. v. 11.*

Quis autem hic fuerit pater familias? quidam curiosè scire desiderant, sed opinandum est, id è scriptura dictum iri, si hoc magis nobis profuisset, videretur fuisse vir honestus, & diues, amplas habens ædes & vt videretur ami-